

BOTANISCHES INSTITUT
der k.k. Universität.

J. N° 5873

B C 25a/13



ORATIO
DE
**HORTORVM
ACADEMICORVM
VTILITATE**

QVAM
VIRO GENEROSISSIMO ET CONSULTISSIMO
IO. HENRICO DE SPREKELSEN
HAMBVRGENSI
PHILOSOPHO ATQUE ICTO EXCELLENTISSIMO
IN SIGNI RARISSIMARVM PLANTARVM
THESAVRO

ACADEMIAE IVLIAE HORTVM
LIBERALITER DITANTI
GRATIAS DECENTES ACTVRVS
PVBLICE RECITABAT

ELIAS FRIDERICVS HEISTERVS M.D.

FACVLT. MED. IN ACAD. IVL. ADIVNCT.

ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEG.

D. XXVIII. AVGVST. A. O. R. C¹⁵I⁶CCXXXVIII.

H. L. Q. C.

HELMSTADII

Apud CHRISTIAN. FRID. WEYGAND.

BOTANISCHES MUSEUM
der k. k. Universität.

J. N. 5873

B C. 25 a / 13

3

MAGNIFICE PRO-RECTOR
ILLVSTRISSIME COMES
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
VIRI

SVMME VENERANDI ILLVSTRES
CONSVLTISSIMI EXPERIENTISSIMI AMPLISSIMI
HOSPITES

MILITIAE ATQVE DOCTRINAE DECORIBVS
INSIGNES

COMMILITONES DENIQVE SVAVISSIMI
AVDITORES OMNIUM ORDINVM
HONORATISSIMI.



Raecipua inter oblecta-
menta, quae generi mor-
talium omnipotens re-
rum moderator indul-
gentissime concessit,
plantarum, si quid aliud, veneres iure
suo referendas esse, sapientissimi natu-

⁴rae consulti arbitrantur. Adeo insignis enim illis inest suavitas & pulchritudo, ut etiam hos egregie exhilarent, qui ceteris mundi deliciis oblectare se verentur. Et tantopere animos hominum pellicere ac delinire possunt, ut non pauci angustos hortuli cancellos cum vastis imperiis, sceptrta cum vomere, coronas cum levi umbella permutare non dubitaverint.

DIOCLETIANVS, potentissimus Romanorum Imperator, terram fodere, solo committere semina, abnodare arbores, legere fructus, multo maioribus habuit in deliciis, quam diadema te superbire, populis adorari, orbi imperare; hinc plantas culturus, regno se abdicavit.

Ast mirificae amoenitates, quibus exornatae stirpes sunt, non impediunt, quo minus ex iis in genus humanum usus redundant insignes ii-
que

5

que admirabiles. Vti enim primis pa-
rentibus, ficus folia, prima offerebant
velamina; sic morus, linum, gossypium
nobis hodieque materiem vestimentis
adornandis aptissimam suppeditant.
Ex cereris sinu fercula salubritate &
dulcedine optima prodeunt. Idem me-
dicinas summa instructas efficacia lar-
gitur.

Fago eadem, cuius sub tegmine
Tityrus, dum sol fervet, securus re-
cubat; camini fumant, posteaquam
bruma frondes deponere sylvis impera-
vit. Robora sive quercus natura pro-
videns nemorum decora esse iussit; ars
illas in magnifica urbium ornamenta
ingeniole novit mutare. Arbores,
quas nuper terrae altissimis infixas ra-
dicibus atque immobiles videras,
nunc fabricatae, in aequore volitant,
Eoum Hesperiumque orbem salutant.
Vt brevibus me expdiam, alunt plan-

tae corpora sana, tegunt nuda, mendentur aegris, hyeme frigus leniunt, aestate calorem, dant in terra domos, in mari navigia, adolescentiam delectant, viris profunt, senes consolantur.

Tanta est plantarum dulcedo! tanta utilitas! quis illarum cognitionem atque contemplationem non amoenissimam, quis non utilissimam praedicaret?

Quae quum ita sint, vix alicui obscuram esse posse *insignem hortorum praesertim in academiis exstructorum & bene instructorum praestantiam* censeo. Eam paullo clarius exponere & uberiorius confirmare animum nunc induxi. A vobis igitur A. O. O. H. ea, qua pars est, observantia peto atque contendeo, ut mihi hoc de argumento disserturo aures praebatis benevolas.

Comprehendemus oratione nostra non quosvis agellos, vulgo nomine

mine ac titulo hortorum academicorum insignitos. Nam dantur nonnulli, qui deserta potius, quam vireta appellari merentur: dantur, qui nil alunt, nisi quod vel praefectum vel hortulanum cum familia alere valet; olera scilicet, legumina, prunos, pyros, malos & pauca quaedam alia huius generis: dantur, quorum custodes plantulas e terrae sinu progerminantes vix ipsimet cognoscunt, multo minus aliis exponere sciunt. De pomariis eiusmodi & locis incultis verba non faciemus; sed sermo tantum nobis erit de iis viretis, quae, uti decet, herbis tam domesticis quam exoticis instructa sunt, neque praefectis peritis, solleribus, eruditis destituuntur; quibus ad rei herbariae scientiam excolendam, & ad maius fastigium evehendam, nihil profecto aptius, nihil accommodatius videtur. In illis enim plan-

tae

⁸tae per universum orbem dispersae
comportantur, aluntur, disponuntur,
pervestigantur, demonstrantur.

Parva haec spatia complectun-
tur stirpes sole oriente natas, occiden-
te nutritas, austri afflatu cretas, bo-
reae rigorem sustinentes. Eadem no-
stro conspectui offerunt vitim, & hor-
deum, unde potus *Germani* parant;
adsunt arbores pomis foecundae dul-
cissimis, quibus bellaria exornat *Bri-
tannus*; alunt citreos aurantiosque
Latii ornamenta, *Galliae* delicia.
Nec, quae Sinensium emittunt glebae,
deficere solent; nec, quae cum ae-
thiope uruntur, carere; nec, quas an-
tipodes sponte sua provenire cernunt,
desiderari: etenim artificis ingenium
curiosi solum & caelum patrium muta-
re, remotissimum vero imitari felicissi-
me novit. Immo! quas altissimi mon-
tes nubibus quasi abscondunt & pro-
fun-

fundissimae valles invidere nobis vi-⁹
dentur, hortorum monstrat planities.

Dici vix potest, quantopere isto-
rum subsidio via ad plantarum cogni-
tionem perveniendi pandatur. Pri-
stini temporibus, vel ubi istiusmodi
horti etiam in deficiunt, difficilli-
mum est & erat ac molestiis stipatum
in infinitis studium botanices caeterum
tot decoribus fulgens.

Quod si enim sollertes eius culto-
res plantas intra spatum aliquot mil-
liarium in patria crescentes investiga-
re sat agunt, perpetuos itinerum bo-
tanorum comites habent, vehemen-
ter delassari, siti vexari, fame sollici-
tari, torreri, sudare, algere, vento &
imbre urgeri. Sin remotiorum terra-
rum ornamenta cognoscere cupiunt,
corpora maris horridi fluctibus com-
mittere, interdum cum saevissimis fe-
rarum decertare, haud raro barbarorum

¹⁰ perfidiam experiri, & sexcenta mala alia exantlare haud vereantur. Vbi vero eiusmodi viridaria germinant, lenis ambulatio sine fatigatione instituta, & horae quieti ac refectioni destinatae nobis monstrant plantas, quibuscum Summus rerum Conditor orbem terrarum quam pulcherrime condecoravit.

Praeterea quum ibi omnis generis stirpes non solum congerantur, verum etiam a primo suo ortu ad interitum usque summa cura & sollicitudine alantur & conserventur; nusquam profecto melius quam hic plantae indagari, accuratius observari, a se invicem discerni, perfecta Botanices scientia acquiri poterit. Nam teneris germinibus e terrae sinu porrumpentibus, inquiri potest, num uno vel duobus foliolis in lucem prodeant, atque sic utrum ad *monocotyledonum*, an
ad

ii

ad *dycotyledonum* classem pertineant: postea crescendo singulas ordine partes, quo eas emitunt, nostrae contemplationi offerunt & ulteriori submittunt examini. Quando *caulem* in altum proiiciunt videre licet, ligneus sit, an herbaceus; rotundus, an instructus angulis; cavus, an solidus; spinis armatus, an inermis. Dum *folia* explicant, infinitae & mirabiles diversitates notandae veniunt. Aliae enim plantae simplicia, aliae composita monstrant; modo magna, modo parva, modo plana, modo teretia gerunt; nunc glabra, nunc hirsuta aut lanuginosa, nunc glacie veluti seu crystallo obducta ostendunt; iam fulvo quasi auro splendentia, iam in argenti similitudinem decorata offerunt; haec sicciora, illa succo turgida profert; quaedam sagittam, hastam,ensem, scuta, pennas, renes, digitos imitantur.

tur. Porro si *flores* aperiunt & ad harum pulchritudinem ac venustatem considerandam oculos invitant, animadverti potest, num sint perfecti, aut imperfecti sive staminei; utrum perfecti regulares, aut irregulares, ex unico tantum petalo, vel ex pluribus conflati, qua figura donati, quibus coloribus picti, qui denique crescendi modus: licet tunc quoque numerare stamina in flosculis maritorum munere fungentia, licet tubas contueri vices uxorum gerentes. His extinctis, & *seminibus* matritatem adiecutis notari potest & videri, nuda sint, an capitulois inclusa; illa, utrum sint *monosperma*, an *polysperma*, pappo instructa, an eo destituta; haec item unica tantum, an pluribus capitulois includantur. His omnibus decidentibus ipsae earum *radices* erui possunt & investigari, quas bulbus emisit,

quas

quas tubera firmant, quas solo squamae affigunt, quas fibrae continent. Ultimo quoque attenti notamus, utrum singulis annis intereant, an per plures vigeant; arbores, frutices, suffrutices aut herbas referant, & quae sunt alia huius generis. Ex quibus observationibus, debita accuratione institutis vera tandem, certa & indubia stirpium cognitio acquiri potest, qualem locis istiusmodi deficientibus adsequi, in tam immensa plantarum a Deo creatarum & per universum longe lateque dispersarum copia, propemodum impossibile iudicamus.

Sed maximam utilitatem Hesperides in academiis florentes praefstant, quando virentia Aeterni Numinis beneficia, quae recondunt, manibus quasi palpanda traduntur, demonstrantur, explicantur. Qua potissimum re ipsos hortos peniles, orbis antiqui

miracula, & splendidissima nostri ae-
vi vireta, lauris & cedris superba,
murmure aquarum cadentium, & sa-
lientium resonantia, suavissimis am-
bulacris illustria, statuis & crypto-
porticibus decorata, longissime su-
perant. Haec enim demulcendis
tantum sensibus inserviunt; illae au-
tem ad doctrinam ac sapientiam & ad
mentem formandam, oblectandam, in-
struendam mirifice faciunt: quicquid
enim de plantis, maxime admirabili-
bus Sapientissimi Conditoris operibus,
dici potest, ibi exponitur. Traduntur
illarum *nomina*, quae vel antiquitas,
vel industria recentiorum imposuit;
nec origines eorum, quotquot inno-
tuerunt, reticentur. Indicantur *no-
tae* & *characteres*, unde quaelibet co-
gnoscitur, atque ab aliis distinguitur;
recentetur *genus*, ostenditur *classis* ad
quam debeat referri; & si qua forte
in

in poetarum fabulis celebretur, aut a veteribus ad ceremonias ritusque solemnies, ut nuptias, funera, in foro, triumphis, rebus sacris adhibita fuerit, id quoque ex scriptorum monumentis deponitur. Neque patrium solum ubi cretae, neque coelum, sub quo natae, silentio praetermittuntur. Denique etiam *facultates earundem viresque multiplices*, & saepius plane admirabiles, declarantur; atque cui usui vel in culina, vel agricultura, mercatura, opificiis, aedificando, arte medica quaelibet planta sit, exponitur. Tandem illae quoque indicantur, quas diro damnatas *veneno* Conditor esse ius-
sit: ut discentes, praecipue Medicorum filii, improvidum illarum usum tam ipsi fugere, quam aliis dissuadere valeant.

Sed hoc loco latis praedicare non possum illorum hortorum praestanti-
am,

am, ubi per certos ordines plantae dispositae, in suas classes & genera divisae deprehenduntur; coniunctae sunt, quas natura similitudine innata coniunxit; sejunctae, quas creator addita dissimilitudine separavit. Quantam id dissentibus utilitatem afferat, notissimum, sed verissimum illud proverbium, quo ordo mater scientiarum dicitur, abunde confirmat. Iulia nostra, uti varietate & multitudine plantarum ceteris Germanicarum academiarum viridariis nunc praestat, ita potissimum hac re, nisi me omnia fallunt, plerisque iure optimo anteferri meretur.

Est profecto hortorum academiorum utilitas longe maior & latius se porrigit, ac multi fortassis sentient. *Siquidem non solum artis salutaris cultoribus, sed omnis generis sapientiae studiosis patent, ut sibi sumant, quae cre-*

credunt in rem suam olim futura.
Nam *naturae scrutatoribus* fructus
inde licet haurire egregios, quando
iis eximia copia, varietas, pulchritu-
do corporum naturalium repreesen-
tantur; quando & explicare audiunt,
& suis oculis cernunt, admirandam
partium in stirpibus decoris fabricam,
structuram, functionem, usum, in-
comparabilem denique cum animan-
tibus similitudinem, quae tanta est,
ut eas non inepte animantia motu
spontaneo destituta appellares. Enim-
vero *radices* simillimae sunt *ductibus* la-
eteis ex intestinorum volumine *chylum*
absorbentibus, quae succos nutritios,
cuilibet germini aptos, ex terrae visce-
ribus attrahunt, & ceteris partibus
advehunt; in quibus revera *vitalis hu-*
morum circuitus viget. Cuius circui-
tus auxilio nutrimentum advectum in
vasis liquida vehentibus, vere *arte-*
Criosis

riosis & venosis in orbem circumagi-
tur, elaboratur, perficitur, apponi-
tur, nutrit, incrementum dat, mi-
rum mutatur, separatur; sicuti color,
odor, sapor, figura, facultates varia
abunde confirmant. Eodem motu
in orbem eunte & redeunte, quicquid
amplius nutrire nequit, secernitur,
transpirat, vel alio modo eliminatur.
Quis enim transpirationem in dubi-
um vocabit, qui considerat, quam
longe lateque Iasmina, Rosae, Ros-
marina, Tuberosae, Lilia, Auran-
tia, Caryophilli suavissimos odores in-
sensibili ratione per amplissima spacia
dispergunt? Haec nondum sufficiunt,
sed observantur quoque organa *pul-
monum* actionem aemulantia, quae fo-
lia cum primis sunt; & quod ingeniosis-
simorum virorum industria patefecit,
observatur in floribus, mirum hercule!
sexus uterque, maris alter, alter femi-
nae

19

nae fungens officio; quorum blando
connubio tenerisque amoribus sobo-
lem sui similem propagabunt, quamdiu
illud sapientissimo Numini placebit.
Denique instar animantium omnium
ex ovo etiam prodeunt: quid enim ce-
realia semina sunt, quam ova novo foe-
tu turgida? Postremo dubius haerebis,
an ipsi *sensus* illis prorsus sint denegan-
di, si Elaterii, si Balsaminae semina
ad levissimos contactus cum impetu
dissilire, si Mimolam sensitivam ex
halitu quoque folia, tanquam vela,
contrahere, caulesque suos submisse
quasi declinare adspicies. Quisnam
philosophiae naturali operam navans
harum rerum contemplationem atque
scientiam non iucundissimam, quis
non utilissimam existimabit?

Rerum sacrarum cultores quot
splendida in Athenarum Hesperidi-
bus opera intuentur, tot mutos con-

²⁰ spiciunt doctores, qui tot veluti lin-
guis taciti clamant, existit DEVS! *ple-*
na est terra benignitate Domini! qui iu-
bent, ut ne in iis subsistamus, sed ad
ipsius primae caussae cognitionem pia
meditatione penetremus & in celsite
summam rerum Effectoris sapientiam,
magnitudinem, omnipotentiam vere-
cunde suspiciamus. Quam belle inge-
niosissimus BROCKES, Maro Christia-
nus, Entis Entium laudes cecinit, pia &
innocenti voluptate pulcherrima flo-
rum ornamenta perquirens? Quam e-
gregie sagacissimus TRILLERVS ad Ae-
ternum DEVVM in ligno & gramine ad-
orandum omnes exhortatur? Quam
gravia ex iisdem fontibus argumenta
hauserunt RAIVS, FENELON, WOLFFIUS,
ROHR aliisque strenui summae impieta-
tis atheismi victores? Porro quoties
litterarum sanctorum sacerdotes *Mu-*
lam conspicient, recordabuntur pri-
morum

21

morum hominum prima peccata; si-
quidem hanc fuisse arborem cognitio-
nis boni & mali, nec non quae fructum
Dudaim profert, haud sine probabi-
litate multi coniiciunt: quoties *Pal-*
mas videbunt, memores erunt laeti
adventus Domini Servatoris nostri:
quoties *arbor Iudae* monstrabitur, sce-
lus proditoris abominandi cum hor-
rere animum subibit: quoties *spina*
Christi ostendetur, dolores & crucia-
tus ineffabiles in mente verlabuntur,
quos nostrae salutis caussa sanctissi-
mus orbis Redemptor perpeccus est.

Nec futuri aliquando *populorum*
ac gentium moderatores sine fructu
hanc scholam intrabunt. Quando e-
nim vegetabilia cognoscunt, cogno-
scunt ea, circa quae reipublicae ful-
cra, agricultura unice, mercatura po-
tissimum verlatur. Nam iugera divi-
te onerata messe, prata amoenissimis

ridentia floribus, pomaria fructibus dulcissimis abundantia, nemora ambitione robustore densa suppeditant, unde ruricolae vitam traducunt egenam, dominique sui horrea replent & aeraria ditant: quicquid vero suppeditant, opes sunt, quas foecundissimus frugiferae telluris sinus effudit largissime.

Frumentum praeterea, vinum, lignum, aromata, medicamenta, gossypium, linum & inde parata, sunt quasi vincula, quibus remotissimae terrae connectuntur & societas inter gentes, longissime a se invicem dissitas, conservatur: dum avidus lucri mercator, ad istiusmodi merces, hinc & inde transvehendas, fragilem ascendit ratem, neque horridum pertimescens aequor in omnes mundi plagas audacter excurrit. Sunt autem hae merces nil aliud nisi opulenta

23

ta Florae Cererisque munera. Quae
quum ita sint, botanices scientiam
nemo non dignam iudicabit, ut a po-
liticis quoque excolatur; quoniam
argutis ingeniiis ad commercia & pro-
ventus terrarum emendandos ac au-
gendos saepenumero viam aperiet
ansamque praebet.

Quod si praedicti illi, qui inter Ae-
sculapii filios nomen non sunt professi,
Athenarum Tempe cum fructu lu-
strabunt multiplici; quanta inde e-
molumenta in *sanitatis & vitae anti-*
stites redundatura perputabimus?
Adipiscuntur ibi herbarum scientiam,
quibus potentissimo mundi huius
Auctori, Deo O. M. facultates tri-
buere cumprimis placuit, vitam a
praematura morte & sanitatem ab in-
finitis calamitatibus vindicandi. Nam
etiamsi tot sint sedes plurimorum
morborum, quot partes fragile & ca-
ducum

²⁴ ducum corpus nostrum componunt;
vix tamen aliquod infirmitatis genus
nos mortales afflit, cui dummodo
vis eius nondum nimis invaluit, & *ma-*
lum arte plus valet, radix, folium flos,
femen, fructus, cortex, succus, lignum
& quae ex his conficiuntur medelae,
haud medeantur. Profecto quid mi-
liti arma, id medico herbae praestant:
uterque sine horum auxiliorum admi-
niculo hostes sibi obvios incassum de-
bellabit. Quapropter philiatris ac-
curata remediorum, tanta virtute, tan-
ta efficacia instructorum, notitia ni-
hil fructuosius, nihil praestabilius es-
se existimamus. Quid enim iuvaret
illos, si partes corporis humani, sub-
tilissimas etiam, ut unguis suos nu-
merare scirent, si usus earundem o-
mnes ingeniosissime explicare nove-
rint, si morbos, horumdemque caus.
as, maxime absconditas, geometri-
cis

25

cis quoque demonstrationibus declarare didicerint; & nihilominus medicinas, summis pollentes viribus, ignorant? omni sua eruditione parum foliaminis aegrotantibus, inter dolores & suspiria decumbentibus essent adlatu-
ri. Hinc vos praecipue, vos, qui sacra Hygeae litatis, exhortamur, ut Florae cultum semper quam maxime curae cordique habeatis, & Chloridis tem-
pla, vestrum gratia potissimum in Mu-
sarum castris extructa, summo studio colere nunquam non allaboretis.

Latissimus dicendi campus adhuc suppeteret, si fusius iam enumerare vellem usus, quos linguarum, antiquitatum, artis poeticae, historiarum, rerum denique domesticarum studiosis attenta stirpium affert consideratio: sed supersedeo nunc his recensendis. Silentio tamen praetereundum non est, virentia Florae delubra inter praecipua

²⁶ cipua scholarum superiorum ornamen-
ta merito suo referri oportere. Nam
sunt ita comparata, ut non cives fo-
lum suos mirifice oblectent, verum
etiam peregrinantes ad ea adeunda &
lustranda allicitant, invitent atque non-
nunquam in admirationem coniici-
ant. Inveniunt ibi tam litteris imbuti,
quam litterarum hospites, suas delici-
as. Iuvant quamcunque aetatem; iu-
vant utrumque sexum; iuvant omnes
in quanam vitae conditione sint con-
stituti. Et quaenam habitacula accom-
modatiora ipsis Musis cum Appolli-
ne visa fuere Parnasseo monte, altis-
simis arboribus umbroso, nitidissimo
gramine vestito, suavissimis floribus
superbiente? *Camoenae amant alterna.*
Post studia requiescendum est, ani-
musque exhilarandus. Opera danda,
ut acti labores iucundi fiant. Nullam
autem voluptatem, nullum oble-
cta-

Etationis genus, omnes severiores
pietatis, virtutis, morumque doctores
magis licitum, magis innocens pro-
nunciarunt, quam quod ex hortorum
capitur lustratione. Pateant igitur ge-
nuinis Minervae filiis, quorum genus
vivendi quietum & sedentarium est,
ut, relictis interdum museis, huc veni-
re & blande ambulando corpora exer-
cere atque hac ratione ipsi propicere
valetudini queant; ut herbarum viridi-
ornatu, cyani, violaeque caerulea ve-
nustate, oculis lectione fatigatis, no-
vum robur addere; ut odoribus, quos
spirant & miscent opes suaveolentes
ex omnibus mundi plagis advectae,
vires contentione mentis & profunda
meditatione fractas, reficere, novas-
que colligere valeant. Praefstat sine
dubio his in viridariis requiefcere,
quam avibus, feris, piscibus retia & la-
queos ponere; praefstat in haec ex-

spatiari ambulacula, quam ad dissitas
excurrere popinas, faeda plerumque
Bacchi, Veneris, Eridisque domicilia.

Sed nolo diutius abuti patientia
vestra, A.H.: quae adhuc dicta sunt,
sole meridiano clarius manifestare vi-
dentur, vireta in Musarum sedibus in-
stituta magnae & multiplicis utilita-
tis esse, ideoque iure optimo maximo
studiosius colenda. Nemo igitur faci-
le negabit, fas ac pium esse, tam pri-
mos conditores semper magni facere,
quam eos quoque dignis celebrare
laudibus, qui splendorem illorum au-
gere atque ulterius perficere nitun-
tur: utpote qui de republica litterato-
rum optime mereri student.

Quam ob caussam ingratae mentis
nota vix a nobis declinanda esset, nisi
studium ac munificentiam insignem
atque ab oblivione vindicandam Viri
generosissimi, IOANNIS HENRICI de

SPREKELSEN, Iurisconsulti & Philosophi
apud Hamburgenes excellentissimi,
in horto Academiae Iuliae ornando
manifestatam publice praedicaremus
& ipsi propterea gratissimos profitere-
mur animos. Praestantissimi huius viri
profundam historiae naturalis scienti-
am & insignia eam excolendi merita
diu est, quum harum deliciarum cul-
tores ad unum omnes venerabundi
obstupescerent. Vti vero in universa
naturae doctrina, ita potissimum in re
herbaria mirum excellit. Indefessò
studio, magno labore, haud levibus
impensis, a longa annorum serie rarissi-
mas herbas, frutices, arbores, utriusque
Indiae ornamenta, torridae &
aquiloniae plagae decora, collegit undique,
in sinum recepit, nutricavit, solerter
notavit, studiose peruestigavit,
tandemque suum hortum ad hunc ce-
lebritatis gradum evexit, ut iam dudum

30
inter mirabilia Hamburgi relatus fuerit, ut bonarum artium & scientiarum aestimatores, Magnates, Principes, arte & marte illustres, ad videndos admirandosque hos Chloridis thesauros perpetuo ibi confluxerint.

En! tam invidendo apparatu Vir Cel., hortorum academicorum utilitatem probe perspiciens, Heliconem Elmiacum, ubi Florae sacra singulari studio ac industria hucusque culta esse intellexit, & quem sub umbra Potentissimorum & Serenissimorum Academiae huius Nutritorum, moderante venerando parente meo, prae ceteris caput extulisse scivit, ita nuper auxit, ornavit, beavit, ut nunc, quantum scio, inclutae Guelphorum Iuliae plantarum divitiis, quod praefiscine dixerim, vix apud Germanos aliqua muralium sedes par sit, apud exterios paucae admodum superiores.

Quas

Quas, quaeso, gratias, quas laudes
pro tanta munificentia tanto patrono
tribuamus? Ego certe tenuitatis in-
genii conscientius lubens profiteor, meam
in dicendo exercitationem longe mi-
norem esse, quam ut has rite celebrare,
aut illas latius dignas agere valeam. Me-
mores tamen usque erunt tantae bene-
volentiae & SPREKELSENIANVM nomen
una mecum prædicabunt Musae Elmia-
cae, quotiescunque tantam plantarum
pulcherrimarum copiam cum admirata-
tione contuebuntur, & commemora-
bile ac generosum istud factum famæ
tradent, ut laudabilis eius memoria ad
exteris posterisque perveniat. Inter-
rim omnes, quotquot bonarum artium
excellentiam scientiarumque patro-
nos aestimare sciunt, uno nobiscum
ore appreocabuntur, ut Supremum Nu-
men, TE, Excell. SPREKELSEN, cum illu-
stri familia TVA perpetuo florere, sem-
per eterna

piterna incolumitate & omni constan-
tissimae prosperitatis genere perfrui
quam indulgentissime concedat.

Denique, A.O.O.H. par est, ut nos excitemus,
ad submisse venerandam Ser. Principis ac Do-
mini Dn. CAROLI, Brunsv. & Lun. Ducis h.t.
Rectoris Academiae Magnificentissimi, clemen-
tiam, qua universam rem litterariam ac nomina-
tim quoque scientiam salutiferam & ad hanc
pertinentes doctrinas fovet, auget, amplificat:
qua nuper etiam effectum est, ut non solum plan-
tas SPREKELSENIANAS magnis sumtibus ad nos
transferendas curaverit; verum etiam Florae Hel-
maestadiensi novam sedem, eamque veteri lon-
ge ampliorem splendidioremque dicaverit, atque
insuper impensas in illius culturam annuatim
collocandas largo augmento munificentissime
beaverit. Celebrate igitur mecum, quicunque bo-
narum litterarum ac studiorum praestantiam
cognoscitis, eorumque florem & incrementa ex-
optatis, devota mente Principem pium, sapien-
tem, fortem, optimum, ac pia nuncupate vota,
ut Patrem Patriae Clementissimum cum Poten-
tissima Domo GVELPHICA DEV S O.M. Auctor
Medicinae, Conditor plantarum, sine medicina,
sine herbarum medicinalium usu, quam diu-
tissime vivere, valere, vigere iubeat.